Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Ottawa

http://www.archive.org/details/monumentapapyrac00maru

# MONUMENTA
# PAPYRACEA LATINA

## BIBLIOTHECAE VATICANAE

## PRAESIDE ALFONSO CAPECELATRO

PRESBYTERO CARDINALI S. R. E.

SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARIO

RECENSUIT ET DIGESSIT

**HORATIUS MARUCCHI**

EIUSDEM BIBLIOTHECAE SCRIPTOR

ACCEDIT DE AULA VATICANA PAPYRORUM EPISTOLA

IOSEPHI COZZA-LUZI

S. R. E. VICE BIBLIOTHECARII

ROMAE
EX TYPIS VATICANIS
MDCCCXCV

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY
MAY 28 1951
16172

# PRAEFATIO

Descriptio in qua papyra Bibliothecae Vaticanae latina lingua exarata recensentur, sequela, et ut ita dicam, additamentum iudicari potest primae descriptionis papyrorum Aegypti, quam anno MDCCCXCI in lucem edidi, cui titulus « *Monumenta papyracea aegyptia Bibliothecae Vaticanae – Recensuit et digessit Horatius Marucchi eiusdem Bibliothecae scriptor* ».

Ars conficiendi chartam ex plagulis papyri ex Aegypto in Italiam migravit, et in insula Siciliae maxime floruit postquam Aegyptus saeculo septimo arabicae dominationi submissa veterem humanitatem amisit. Sed non in Sicilia tantum nec tantum Panormi, ut eruditi quidam opinarunt, chartam papyraceam confectam esse iudicari debet [1]: nam et in aliis etiam Italiae regionibus papyrum certe floruit et illud scripturae recipiendae materiam praebuit [2]. Itaque evenit ut actus conciliorum quamplurimos, vitas et sermones patrum, documenta regum francorum et langobardorum, privilegia ecclesiarum Romae Ravennae et Mediolani et alia omne genus, in papyris plures bibliothecae nobis servarint. In scriniis romanae curiae et in diplomatibus cancellariae pontificum romanorum papyrum prope unice, ut eruditi quidam asserunt, usque ad saeculum XI$^{um}$ adhibitum fuit; postea charta quae dicitur membranacea in hunc usum venit. Vetustissimum ex scriptis

[1] Cf. Carini, *Il Papiro. Appunti per la nuova scuola vaticana* (Roma 1890) pag. 4.

[2] Cf. Cozza-Luzi, *Di un nuovo papiro ravennate nella Biblioteca vaticana* (Roma 1892) pag. 19.

membranaceis curiae pontificiae huc usque videtur bulla Benedicti papae octavi quae ad annum pertinet MXXII [1].

Sed inter tot papyracea monumenta excellunt procul dubio et omnium praestantissima sunt ea quae ad ecclesiam Ravennatem pertinent, ob ingentem memoriarum numerum qui ad nos usque pervenit, et ob earum copiam ac varietatem. Ravennas enim ecclesia iam ab quinto saeculo possessiones quamplurimas obtinuit per regiones fere omnes Italiae et praesertim in insula Siciliae; unde factum est ut tabularium huius ecclesiae olim ditissimum inter scrinia aliarum ecclesiarum evaserit. Qua de re consuli potest opus Fantutii viri sane docti de antiquitatibus illius civitatis [2].

De papyris diplomaticis tum Ravennae quum aliarum regionum specimen nobis praebuit Donius in suo opere de inscriptionibus antiquis, et magis accurate rem digessit Maffeius in sua *Historia diplomatica*. Sed plenissime atque eruditissime, ut solebat, argumentum pertractavit vir clarissimus Caietanus Marinius, qui praeclaram huius generis papyrorum collectionem exhibuit in doctissimo opere, cui titulus *I papiri diplomatici*, Romae typis impresso anno MDCCCV. Neque contextus tantum papyrorum, sed notas mira eruditione refertas illis apposuit vir egregius et in tabulis etiam non paucis characterum exemplaria fidelissima, quantum aetate sua licuit, imprimenda curavit. Opus marinianum papyra excellentiora Italiae et aliarum quarundam Europae regionum complectitur et fere omnia, quae in Bibliotheca Vaticana, quaeque hoc in catalogo continentur.

Non modica est procul dubio utilitas quae ex hisce documentis papyraceis ad historiam illustrandam depromitur. Nomina enim imperatorum, pontificum, episcoporum vel magistratuum eorundemque annos ex iis colligimus, quae omnia chronologiam summopere adiuvant, ut quisque facile videt. Notas insuper hypaticas seu consulares saepe nobis haec papyra praebent, quae inscriptiones temporum notis instru-

[1] Cf. Carini, op. cit. pag. 25.

[2] *Monumenti ravennati de' secoli di mezzo*, Venezia 1801.

ctas illustrant et vicissim ab inscriptionibus ipsis aliquando illustrantur; ita ut arctissima inter palaeographiam et scientiam epigraphicam relatio instituatur. Eventus praeterea magni momenti haec documenta non raro attingunt; sed res quae minus sunt notae et quas saepe silet historia, ut seditiones municipales, ecclesiasticas controversias, privata negotia, donationes, testamenta et alia huius generis in plagulis istis praesertim invenies.

Topographiae insuper civitatum vel agrorum lucem aliquam haec monumenta afferunt; nomina enim fundorum, viarum et aedificiorum etiam quamplurima nobis servarunt, quae frustra alibi quaesieris. Stipulationes vel donationes maxima pars fortasse papyrorum continet; et sic ipsa formulas legales, subscriptiones testium, aliaque complura nos docent, quae rei historicae et antiquariae magnum praebent emolumentum. Notitias aliquando quae archaeologiae summopere opem afferunt papyracea monumenta suppeditant; ut exempli gratia fragmentum illud quod Modiciae in thesauro cathedralis ecclesiae adservatur in quo abbas quidam nomine Iohannes, a Regina Theodolinda ad Gregorium magnum pontificem Romam missus, itinerarium suum per criptas martyrum in romanis coemeteriis descripsit [1].

Tandem artis palaeographicae studio collectiones istae papyrorum summopere auxiliantur; scripta enim, quae certam temporis notam exhibent, formam litterarum uniuscuiusque aetatis nobis praebent, ita ut eorum ope aliarum scripturarum, quae chronologicis notis carent aetas dignosci possit.

Series haec vaticana papyrorum Paulo V pont. max. colligi caepta est; et Clementis XII ac Benedicti XIV munificentia incrementum habuit. Primus omnium eam Grimaldius saeculo XVII ineunte studio prosequutus est; idemque quaedam papyra delineavit in codice vaticano n. 6064 [2].

[1] Papyrum hoc Modiciae, editum fuit a Marinio in opere iam citato pag. 208.

[2] Titulus huius descriptionis est « *Antiquissimae scripturae quae in arborum cortice exaratae in Vaticana Bibliotheca asservantur, sanctissimi Dñi nostri Pauli quinti pontificis maximi iussu exemplatae. Anno Domini MDCXVII.* »

I
6604
.M3

Tunc papyra servabantur in pluteis Bibliothecae; sed Clementis XIV et Pii VI temporibus alteram sedem eamque digniorem invenerunt in cubiculo ad hunc usum accommodato, quod Raphael Mengs praeclarus illius aetatis pictor figuris elegantissima arte delineatis exornavit. Marinius ipse papyra in tabulis vitrea custodia conclusis disposuit, et ipsis quasdam submisit de eorum argumento et aetate notulas et de scriptoribus per quos primum quidquam editum fuerat.

Brevis descriptio huius collectionis papyrorum nunquam seorsim impressa est, cum marinianum opus plenam eorum illustrationem praeberet; et huc usque summarie eorum pars describebatur in codice ottoboniano n. 3168 fol. 134, cuius verba hic submittere operae pretium erit.

NOTA DELLE ANTICHE SCRITTURE IN SCORZA D'ALBERO CHE SONO NELLA LIBRERIA VATICANA.

« An. di G. C. CCCCXLIV. — Catasto delle rendite della chiesa di Ravenna « in Sicilia. Si trova edito nella *Ist. diplomatica* del marchese Maffei carte 1130 « e appartiene all'anno 444.

« An. di G. C. CCCCXCIX. — Strumento di vendita rogato in Ravenna nel 499; « è scritto per lo largo ed è talmente conservato che forse non ve ne ha un si- « mile al mondo. Si trova edito nelle iscrizioni doniane classe XIX, n. II, pag. 469 « e nell'*Ist. diplom.* del Maffei carte 155. In Vaticano ce ne è anche una copia « fatta da Iacopo Grimaldi [1].

« An. di G. C. DXXXIX. — Strumento di vendita rogato in Ravenna per « Candidiano nell'anno 539, secondo il marchese Maffei che lo ha edito nella *Istoria* « *diplomatica* carte 151 e sta ancora nelle *Inscr. Doniane* n. V. pag. 480.

« An. di G. C. DLXVI. — Frammento di lettera di Agnello Arciv. di Ravenna, « il quale morì nel 566. Si trova edito nelle *Inscr. Doniane* n. VII, pag. 487.

« An. di G. C. DXCI. — Strumento di vendita rogato in Ravenna per Giu- « liano. Sta edito nelle *Inscr. Doniane* n. III, pag. 474 e nell'*Ist. diplom.* carte 166. « In Vaticano ce ne è una copia di mano dell'abb. Valesio; perchè manca del « principio non se ne sa precisamente l'età, ma si crede possa essere stato rogato « intorno all'anno 591, poichè in tal'anno fu rogato lo strumento dell'altra metà « del fondo che si vende per una porzione in questo strumento acefalo. Il detto

[1] Papyrum hoc revera pertinet ad annum DXL (cf. Papyrum VIII, pag. 9).

« altro strumento pure in papiro lo ha edito il marchese Maffei nell'*Ist. diplom.* « carte 165.

« An. di G. C. DCCCXXI. — Strumento di donazione fatta alla chiesa di Ra- « venna e per lei all'Arcivescovo Petronace che noi troviamo sottoscritto in un « Concilio romano celebrato nell'anno 826. È diviso in due frammenti amendue i « quali si trovano editi nelle *Inscr. Doniane* n. VI, pag. 485. Nell'*Ist. diplom.* « carte 154 si riporta solamente il primo e molto più mancante che nelle *Doniane* « *Inscr.* e che in fatti si legge ancora nel lacero papiro. Del frammento secondo « ce ne è in Vaticano una copia fatta dall'Abb. Valesio, ed è notabile come nel « di dietro del papiro sta scritta questa memoria: *Io. Petrus et Paulus Honorii* « *de Staffilo Aldi Manutii heredes et nepotes Bibl. Vaticanae dono dederunt* [1].

« Sec. V. — Strumento di donazione fatta alla chiesa di Ravenna edito dal « marchese Maffei nell'*Ist. diplom.* carte 143 e lo crede del quinto secolo. Sta in « un cristallo ed è lunghissimo.

« Frammento di un antico strumento riportato dal Maffei nell'*Ist. diplom.* « carte 173. Sta in un cristallo.

« Catasto che pare appartenesse alla mensa ep. di Padova, edito nelle *Iscr.* « *Doniane* n. X, pag. 492. È scritto per lo largo.

« Strumento di donazione forse a favore di un servo messo in libertà edito « nelle *Inscr. Doniane* n. IX, pag. 491 ».

Haec descriptio cuius auctorem ignoramus, ante aetatem marinianam exarata est: nam Marinius ad ipsam alludit in nota quam declarationi papyri CLXII adiecit (pag. 377). Papyra tantum in ea invenies quae tunc in Bibliotheca servabantur: et chronologicas notationes aliquando erroneas exhibet, ut superius adparet.

Nobile incrementum collectio nostra recepit paucis abhinc annis, cum Leonis XIII P. M. munificentia, burghesianis codicibus in Vaticanum inlatis, papyrum saeculi noni ad Ravennatem pertinens ecclesiam aliis adiectum est. Commentationem huius papyri eruditione et sagacitate praestantem debemus viro clarissimo Iosepho Cozza-Luzi Romanae Ecclesiae vice-bibliothecario, ut suo loco monebimus. Eidem

[1] Pertinet ad annum DCCCXXIV (cf. Pap. XX, pag. 22).

debetur etiam solers cura ad papyra aegyptiaca rite servanda; et eius consilio maxime et auctoritate nos descriptioni papyrorum Aegypti, quam in lucem iam edimus, brevem hunc catalogum latinorum adiecimus. Neque curas erga tam pretiosa Bibliothecae nostrae monumenta vir doctus ulterius abiecit: quin imo amoris sui circa haec studia veluti testimonium, cubiculi ipsius descriptionem in quo papyra servantur huic catalogo de suo addidit. Qua de re quamplurimas ei reddo gratias, cum exiguum opusculum meum erudito auctario et nomine suo nobilitaverit.

Huc usque igitur haud parvum thesaurum papyrorum Bibliotheca nostra obtinuit; quae partim sunt aegyptia antiquissima partim coptica et graeca aetatis alexandrinae, partim denique latina a saeculo quinto ad nonum post Christum exarata. Antiquioris collectionis in opere nostro iam citato descriptionem dedimus: et ex ea numerus colligi potest tam papyrorum quae adhuc in Bibliotheca servantur quam eorum quae in museum aegyptiacum Gregorius XVI P. M. transferri iussit. Papyra aegyptia Bibliothecae numero sunt XXIII; quorum VI hieroglyphica, VII hieratica, III coptica et tandem VII graeca. Si autem his LXII papyra in museum translata et XXIV latina quae hic catalogus comprehendit addas, seriem totam hanc vaticanam papyris numero CIX constantem non parvi certe momenti iudicandam esse procul dubio inferes.

Magnum profecto saeculorum spatium series haec comprehendit; quippe vetustissimum omnium sit papyrum illud cuiusdam Amenemapt qui inter saeculum XVII$^{m}$ et XV$^{m}$ ante Christum vixit [1]; et postremum certam temporis notam exhibens ad annum 854 post Christum pertineat ut innuimus [2].

Collectio autem serie aliquo modo continua, parva interiecta lacuna, procedit; nam papyrum ex aegyptiis aetate novissimum tertio post

[1] Cf. *Monumenta papyracea aegyptia Bibliothecae vaticanae* etc., pag. 123.

[2] Cf. huius catalogi pag. 18, 19.

Christum saeculo adtribui potest [1] et latinorum antiquissimum medii saeculi quinti notam chronologicam exhibet [2].

Desiderantur nihilominus ad collectionem pleniorem efformandam quaedam ex papyris illis graeco sermone conscriptis quae ad priora saecula christiana spectant. Horum ingentem numerum, in Aegypto nuper inventum, Vindobonensi museo magnus dux Ranierius dono attribuit. Inter quae papyra primaevae aetatis christianae in Aegypto detecta notatu dignum profecto est fragmentum, quod libelli tempore persecutionis decianae (a. 250) exarati unicum nobis exemplum praebet [3]. Praeterea quamvis huius familiae papyris collectio nostra careat, magni semper momenti est et talis ut descriptioni prioris partis etiam hanc alteram addere necessarium omnino esset. Hoc pacto tandem eruditi viri omnium, quae in vaticano papyra adservantur, seriem prae oculis nunc habent.

Elenchus iste iuxta morem recensionum aliorum codicum exarabitur, scilicet brevissime et scientificis omissis adnotationibus; haec enim in Mariniano opere praesertim et in aliis, quae passim indicantur, inveniri poterunt. Cum papyra in parietibus ipsis sint disposita, catalogus monumenta omnia unaquaque in tabula coniuncta simul comprehendet et ordo numericus papyrorum a tabula in pariete dextrorsum aulam ingredientibus e museo christiano initium sumit.

---

[1] Cf. *Monumenta papyracea aegyptia* etc. pag. 100, 103, 113.

[2] Cf. huius catalogi pag. 12.

[3] Cf. Krebs, *Ein libellaticus von Iahr 250 nach Christus aus dem Fajum*, in Sitzungsberichte der Kön preuss. Akademie der Wissenschaften zu Berlin (Nov. 1893 tab. 7, pag. 1007-1016).

# PAPYRA

## VATICANA LATINA

# TABULA I

Tabula haec continet quinque fragmenta papyracea, sub vitrea custodia reposita, quorum sequitur descriptio.

## Papyrum I.

(alt. 0.58, lat. 0.37)

Fragmentum diplomatis Leonis papae quarti, quo rata habetur donatio quaedam, et poena pecuniaria ac anathema minatur illi qui contra hoc praeceptum egerit. Documentum pertinet ad annum XXXIII imperatoris Lotharii, scilicet ad annum DCCCXLIX post Christum. Diploma confectum fuit a Stephano scriniario sedis apostolicae et scriptum per Tiberium primicerium. Fragmentum est initio mutilum et habet salutationem BENE VALETE litteris maioris moduli et duobus crucibus conclusam. E papyro pendet bulla plumbea, quae affixa est cordulae ex filis cannabis. In bulla legitur ex una parte ✝ LEONIS ✝, ex altera ✝ PAPAE ✝.

In *additamento* dedimus huius diplomatis textum et exemplar phototypicum.

Paulus papa V hoc fragmentum emit Romae anno MDCXVII et in Bibliotheca vaticana collocari iussit, prout colligitur ex Grimaldio, qui in suo manuscripto (cod. vat. lat. 6064, fol. 2) notitiam huius documenti dedit. E Bibliotheca in Tabularium vaticanum postea migravit, ubi adservabatur medio saeculo decimo octavo, dum Garampius eiusdem Tabularii praefecturam gerebat [1].

Ediderunt fragmentum Donius in appendice inscriptionum antiquarum pag. 467, patres Maurini [2] et Marinius [3] qui asserit illud non amplius in Vaticano suis diebus

[1] Cf. MARINI, *Papiri diplomatici*, p. 220.
[2] *Diplom.* vol. V, p. 183.
[3] *Papiri diplomatici*, n. XII et p. 220 adnotationum.

extare. Nescio quomodo pervenit in manus marchionis de Gualteriis. ob cuius liberalitatem iterum in Vaticanum redit anno 1821, prout colligitur ex epistola Henrici Gualterii ad Angelum Majum in cod. vat. lat. 9474. Memoria huius rei est adnotatio in eodem papyro ubi legitur « *nobilium Gualteriorum donum.* »

## Papyrum II.

(alt. 0.45, lat. 0.35)

Fragmentum diplomatis pontificii, quo ab Ecclesia romana privilegia quaedam Ravennati Ecclesiae largiuntur super clerum et episcopos Romaniae et poena pecuniaria statuitur contra violatores.

Agitur in diplomate de seditionibus intra fines Ravennatis provinciae, in quibus videtur ecclesias sanctorum et martyrum damna haud modica habuisse.

Innuitur hic fortasse ad seditiones contra imagines et reliquias sanctorum tempore Leonis Isaurici exortas, dum persecutio iconomachorum fervebat in ditione praesertim exarchatus.

Expressiones quaedam huius privilegii referri videntur ad foedus amicitiae inter pontifices romanos et archiepiscopos ravennates, quod post dissentiones inter romanam et ravennatem ecclesiam ratum ac statutum fuit.

Papyrum est igitur alicuius momenti ad declarandas historicas vicissitudines illius aetatis, sed graphia procul dubio est temporis recentioris. Donatum fuit a marchione de Gualteriis una cum superiore papyro anno 1821, uti constat ex eadem epistola ad Angelum Majum et inscriptione litteris fere evanidis ut supra.

Eiusdem quoque textum dedimus in *additamento*.

## Papyrum III.

(alt. 1.74, lat. 0.33)

Fragmentum initio carens extensi diplomatis quod ad annum pertinet circiter DCCCLII.

Continet actum Iohannis archiepiscopi Ravennatis exhibitum ecclesiae beati martyris Apollinaris et successoribus eius in episcopatu; seu donationem fundorum *per singulas regiones, urbes, loca et territoria totius Italiae provin-*

*ciae* [1]. Donatio impugnari nequit ab haeredibus archiepiscopi: quod si ipsi secus fecerint solvere debebunt *auri obrizi* libras *quinquaginta* [2].

Instrumentum scriptum fuit per Iohannem tabellarium civitatis Ravennae et signatum manu propria ab archiepiscopo et testibus et oblatum denique ante altare s. Apollinaris.

Nomen et adprobatio archiepiscopi litteris uncialibus quinque lineis legitur hoc modo.

† *Ego Iohannes Dei pietate archiepiscopus huic chartulae donationis e presenti die de supra scriptis omnibus capitulis et de (oma)* (sic) *sicut supra legitur a me factae tibi Apolenaris pontifex et martyr Domine illuminator meus et per te in scam Ravennatem ecclesiam perpetuum successoribusque meis ad omnia supra relegi consensi et subscripsi et testibus a me rogatis obtuli subscribendam* †.

Sequuntur nomina quatuor testium, scilicet Petri, Leutherii et duorum consulum Aldi et Andreae. Eadem nomina repetita leguntur ad calcem totius documenti.

Consules isti magistratus erant civitatis Ravennae, qui distinguendi sunt a consulibus illis quorum memoriam habemus sub dominatione exarcharum in *libro diurno romanorum pontificum* [3]. Distinguendi sunt etiam a consulibus qui reipublicae regimen media aetate habebant in civitatibus Italiae. prout adparet ex tractatu foederis Constantiae (a. 1183) et aliis documentis [4].

De hoc argumento consuli potest doctum opus Fantutii de monumentis civitatis Ravennae, ubi auctor seriem consulum ravennatium exhibet ab anno 893 ad annum 1031 [5].

Iusiurandum donationis factum est *per Deum omnipotentem sedemque sanctam apostolicam et vitas dominorum nostrorum.*

Indicantur hic imperator orientalis Michael III et Lotharius occidentalis. Et inde colligimus quod medio saeculo nono, quamvis exarchatus et Pentapolis se a

[1] Hic sub nomine provinciae Italiae intelligi debet integra Italia eodem sensu ac in prooemio legum langobardorum Rotaris, ubi dicitur: *post adventum in provinciam Italiae Langobardorum.*

[2] *Obrizum*, seu splendens, erat nomen auri optimi in idiomate infimae latinitatis.

[3] Cf. editionem Sickelii a. 1889, p. 2, 4 - 54, 21 - 55, 18 - 56, 8.

[4] Cf. Muratori, *Antiquit. medii aevi*, tomo IV (Dissert. L) p. 466 seqq.

[5] *Monumenti ravennati de' secoli di mezzo*, tomo I (Prospetto, p. xxix).

dominatione bizantina iam omnino subtraxissent, adhuc in antiqua provincia exarchatus iura imperii orientalis, saltem in publicis instrumentis et honoris causa, aliquo modo firma ac tuta servabantur.

Adest indicatio chronologica indictionis XV: quamobrem Marinius documentum adtribuit anno DCCCLII p. Chr. ut supra monuimus.

Editum fuit hoc papyrum in collectione Mariniana (n. XCVIIII cf. adnot. p. 318) et in opere Maurinorum (vol. III, p. 637-38).

Marinii temporibus extabat in Bibliotheca Alteriorum in Urbe, unde in Vaticanum translatum fuit.

## Papyrum IV.

(alt. 0.35, lat. 0.82)

Fragmentum valde consumptum continens elenchum praestationum ad episcopatum patavinum pertinentium cum nominibus aliquarum possessionum in territorio patavino.

Notantur primo praestationes *solidorum*, *trimessium*, *siliquarum*. Secundo praestationes in *Xeniis* sive muneribus piscium carpionum iuxta interpretationem Donii, et in *anscribus*. Tertio praestationes in *gallinis* et *ovis*. Quarto praestationes in *hebdomadis* et *operibus*.

Sequitur index fundorum in territorio patavino: cui additur nota altera praestationum in *solidis*, *trimessibus*, *siliquis*, *xeniis*, *anseribus*, *ovis* et *melle*.

Documentum videtur saeculi septimi. Editum fuit a Donio. *(Inscr. ant.* p. 492-95).

Transcriptionem integram dedit Grimaldius in codice vaticano 6064, fol. 32 et seqq.

## Papyrum V.

(alt. 0.40, lat. 0.50)

Constat ex tribus fragmentis in quibus notantur donationes fundorum et oblationes sanctae Ravennati Ecclesiae. Fragmenta sunt fracta et exesa. Primum continet donationem sex unciarum fundi Curpiniani cum pistrino atque duobus hospitiis. In secundo fit mentio eorumdem hospitiorum et pistrini. In tertio fit pariter

mentio dictarum sex unciarum et inest indicatio chronologica anni quintidecimi Heraclii Augusti, scilicet anni aerae vulgaris DCXXV.

Haec fragmenta inventa fuerunt in urbe et a Paulo V reposita in pluteis Bibliothecae vaticanae anno MDCXVII. Edita sunt a Donio in opere *Inscriptiones antiquae*, p. 489-490, n. VIII.

---

# TABULA II

Continet duo fragmenta papyracea magnae extensionis et conservationis optimae.

## Papyrum VI.

(alt. 2.60, lat. 0.31)

Hoc papyrum exhibet actum donationis Ecclesiae Ravennati cuiusdam fundi vocabulo Buloniani in territorio ariminensi per quamdam mulierem nomine Sisiveram. Iusiurandum donationis observandae factum est *per salutem duorum dominorum nostrorum invictissimorum principum Augustorum romanum gubernantum imperium* (*sic*). Ex qua indicatione Maffeius collegit documentum facile esse aetatis saeculi quinti, cum romanum imperium a duobus regebatur Augustis scilicet ab orientale et occidentale. Sed formula *romanum gubernantes imperium* ad duos imperatores Bizantii referri potest; et post saeculum sextum hoc documentum confectum esse ex palaeographicis indiciis adparet.

Donatio dictata fuit Bono tabellioni civitatis Ravennae et subscripta per signum sanctae crucis manu propria a supradicta Sisivera *pro ignorantia litterarum*.

Inter subscriptiones testium notantur nomina Armati scholarii, Adquisiti Optionis numeri mediolanensis, cuiusdam Ioannis, qui testimonium suum scripsit latine sed litteris graecis, Laurentii, Iulini et Iuvini horrearii; qui omnes asserunt adstitisse actui donationis factae a Sisivera coram Bo (fortasse Bono) diacono et vicedomino.

Postrema pars documenti continet duodecim lineas ut sequitur:

« ┼ Bonus tabellio civitatis Rav̄ scribtor huius
« chartulae donationis portionis in integro fundi
« ssti̅ Boloniani cum omnibus ad se genera
« liter pertinentibus sicut superius legitur post robora
« tam a testibus atque traditam complevi et absolvi. ┼
« ┼ Notitia testium idest
« Armatus vd schol. et coll. a scā. eccl. ad signum, [1]
« Adquisitus v. c. optio numer mediol. [2]
« Iohannis v. h. negotiator syrus a caput porticus [3]
« Laurentius vir st. ex Ypod [4] civ. Fanestr.
« Iulinus v. h. qui fuit Adī qd Marcatoris [5].
« Iuvinus v. h. ..... ┼ ».

Papyrum hoc emptum fuit a Scipione Maffeio Venetiis, qui illud magni momenti existimavit et *regem papyrorum* appellat in *Historia diplomatica* p. 143. Edidit etiam Marinius in opere de papyris (n. XCIII p. 144).

Marinius iudicavit papyrum saeculi sexti et aetatis Iustini iunioris contra sententiam Maffei.

Ex eo quod iusiurandum non ob sedem apostolicam sed tantum ob Augustos pollicitum sit, colligi potest papyrum medio saeculo octavo antiquius esse, scilicet aetate illa antiquius qua romanus pontifex iam in exarchatu principatum obtinuerat.

[1] *Armatus vir devotus, scholarius et collector a sancta ecclesia ad signum.*

[2] *Adquisitus vir clarissimus Optio numeri mediolanensium*, scilicet distributor annonae militaris.

[3] *Iohannis vir honestus negotiator syrus a caput porticus.* Hac denominatione indicatur regio quaedam civitatis Ravennae: quae conferri potest cum regione urbis Romae cui nomen *caput Africae.* Cf. FANTUZZI op. cit. tomo I p. 202 ubi habetur documentum anni 978 ex quo colligitur regionem hanc Ravennae esse *non longe a Curia.*

[4] *Laurentius vir spectabilis ex Ypodecta civitatis Fanestris* (Fani). Ypodecta idem erat ac susceptor.

[5] *Iulinus vir honestus qui fuit Adiutor quondam Mercatoris.*

## Papyrum VII.

(alt. 2.09, lat. 0.32)

Papyrum continet instrumentum venditionis sex unciarum fundi genuciani in territorio Ariminensi, peractae a quadam Rusticiana filia cuiusdam Felicis defensoris ecclesiae romanae [1] et ab eius marito Tzitane milite numeri pesarmenorum [2], cuidam Ioanni adoratori numeri Ravennatium [3].

Documentum incipit ab indicatione anni noni imperatoris Mauricii Tiberii et anni octavi post consulatum eiusdem, scilicet anni christiani DXCI. Pertinet igitur ad aetatem Gregorii magni pontificis; sed exaratum probabiliter fuit antequam ipse pontifex constitueret tales defensores romanae Ecclesiae, ut Felix iste pater Rusticianae fuit, clericos esse debere [4].

Insunt signa venditricis et eius coniugis scilicet Rusticianae et Tzitani et sequuntur nomina quinque testium qui omnes se actui venditionis adstitisse affirmant.

Unus ex his natione graecus et nomine *Pacificos* (lin. 78-83) testimonium suum latino sermone et graecis litteris scripsit, sed graecis etiam terminationibus et diftonghis.

Explicit documentum cum signo cruciformi et nomine Honorati tabellionis classis Ravennae et scriptoris chartulae hoc modo

† *Honoratus v. h. (vir honestus) Tabellio Cl (classis) scriptor huius documenti sex uncie fundi ssti (suprascripti) roboratum a testibus traditum complibi et absolvi* †.

[1] Defensores ecclesiae romanae erant qui patrimonii huius Ecclesiae per Italiae partes curam gerebant.

[2] Pesarmenia erat illa Armeniae pars quam Persae occupabant.

[3] Titulus iste fortasse tribunum aliquem indicat vel illum qui in coeremoniis aulicis purpuram principis deosculabatur (v. Gotofredum ad. Cod. Theodos. lib. VI, de diversis officiis).

[4] Cf. Muratori, *Rerum italicarum scriptores*, tomo II p. 642.

Papyrum fuit collectionis ducalis Mantuae, postea comes Bulgarinius illud adquisivit et dono dedit Maffeio, qui textum edidit in sua *Historia diplomatica* (p. 165). Ediderunt etiam patres Maurini (Tom. V, p. 649). Denique in Bibliothecam vaticanam venit et a Marinio plene descriptum fuit in opere iam citato n. CXXII.

## Adnotatio.

In eadem tabula aliud fragmentum papyraceum servatur, quod longe antiquius est iam descriptis et aliis etiam huius collectionis. Pertinet namque ad seriem illam papyrorum aetatis alexandrinae quae in prima huius catalogi parte descripta sunt [1].

Ut illorum commodo provideatur, qui volumen illud sub oculis non habent, verba descriptionis huius documenti iterum hic notare iuvat: « Papyrum graecum continens epistolam supplicem Ptolemaei Pavisii filii ad Dionysium strategum, in qua agitur de iniuriis quas ipse sustulit in Serapeo ubi degebat, videtur aetatis Ptolemaei Alexandri et fortasse anni 88 ante Christum. Ad calcem epistolae legitur rescriptum strategi. In aversa parte (nunc ab anteriore disiecta) est indicatio anni XIX (fortasse regis suprascripti) et diei XXI mensis Phaopi seu Octobris, cum inscriptione ad quemdam Menedemum » [2].

[1] *Monumenta papyracea aegyptia Bibliothecae vaticanae* etc. recensuit et digessit Horatius Marucchi eiusdem bibliothecae scriptor. — Romae a. MDCCCXCI.

[2] Vide Opus suprascriptum pag. 133 num. 135; cf. Mai, *Classici Auctores*, vol. IV, p. 444-45.

# TABULA III

(SUPRA PORTAM PINACOTHECAE)

## Papyrum VIII.

(alt. 0.30, long. 3.20)

Instrumentum venditionis duorum fundorum quibus nomen *domicilium* et *Centum* (quod postremum dicitur quoque *vigintiquinque*) cum pertinente aedificio in territorio Faventino, factae per Dominicum virum honestum Montano notario sacri vestiarii praetio XL solidorum auri sub die III nonas Ianuarias anno sexto post consulatum Paulini Iunioris viri clarissimi, scilicet anno christiano DXL [1]. Actum venditionis rogatum fuit Ravennae per Deusdedit exceptorem.

Inest signum Dominici venditoris litteras nescientis, et subscriptio testium, ut sequitur:

« Florus v. c. his instrumentis portionis fundi Domicilii vel Centum quod viginti et quinque appellatur in integro cum aedificio rogatus a Dominico v. h. ss. venditore ipso praesente testis suscribsi et ss. praetium quadraginta solidos ei in praesenti traditos vidi qui et mei praesentia signum fecit.

« Reparatus v. c. praepositus cursorum dominicorum his instrumentis portionis fundi domicilii cum aedificio et centum viginti quinque rogatus a Dominico v. h. s. s. venditore testis subscripsi et ss. praetium quadraginta solidos ei in praesenti traditum vidi qui mei praesentia signum fecit

« Paulus v. c. argentarius *etc.* testis subscripsi et praetium traditum vidi *etc.*

« Vitalis v. c. monetarius *etc.* subscripsi et praetium traditum vidi *etc.*

« Romulus v. c. silentiarius *etc.* subscripsi et praetium traditum vidi *etc.* ».

Accedit epistola traditionis data ad municipes civitatis Faventinae ab eodem Dominico, ubi nuntiatur mutatio proprietatis fundorum post venditionem sub die

[1] De hac nota consulari conferatur commentarium Rossii in opere *Inscriptiones Christianae* Vol. I, p. 479 et 489; ubi cl. auctor luculenter probat quod consulatus Paulini iunioris ad annum pertinet 536 et quod annus 540 in ditione Iustiniani notatus fuit consulatu Iustini, sed in ditione Gothorum indicatione anni sexti post consulatum Paulini.

III nonas Ianuarii indictione tertia, anno suprascripto. Actum signatum est a Dominico venditore litteras nesciente et roboratum a duobus testibus qui supra scilicet a Reparato et Paulo.

Explicit documentum cum decreto magistratus civitatis Ravennae in quo rata habetur venditio fundi suprascripti hac formula « *Pompulius Plautus magistratus dixit.* » *Ut petisti gesta tibi propter monimen tuum a competenti officio dabuntur, ex more* †.

Sequuntur nomina magistratus et testium hoc modo

† Pomp. Plautus magestratus gesta apud me habita recognovi
† Flavius Florianus v. c. his gestis apud nos habitis suscribsi
† Firmilianus v. l. (vir laudabilis) his gestis apud nos habitis suscribsi
† Flavius Severus Iun. v. l. his gestis apud nos habitis suscribsi
† Quiriacus iun. v. l. his gestis apud nos habitis suscribsi
† Deusdedet exceptor civitatis Ravennae his gestis edi(di tradidique).

Papyrum hoc emptum fuit Romae a Paulo papa quinto anno MDCXVII et eius iussu in Bibliothecam vaticanam translatum. Caret initio, et quindecim primi versus ob vetustatem prorsus evanidi sunt.

Editum fuit a Maffeio (*Hist. diplom.* VIII, 155), a Muratorio (*Ant. Medii aevi* Tom. II, p. 1001, 1002) et a Donio in suo opere inscriptionum antiquarum p. 469; edidit denique et illustravit Marinius (*Papiri* n. CXV).

---

# TABULA IV

(PROPE PORTAM PINACOTHECAE)

---

## Papyrum IX.

(alt. 1.37, lat. 0.30)

Fragmentum continens partem actus donationis quam Stephanus vir magnificus et illustris natione graecus et Neapoli degens fecit ecclesiae Ravennati bonorum quae ipse habebat in territorio eugubino sive intra sive extra civitatem Eugubii. Indicatio chronologica desideratur et extabat in superiore parte quae periit; sed

documentum iudicari potest initii saeculi septimi. De hac donatione agitur etiam in codice bavarico quem Fantutius edidit [1].

In linea 17ª incipit subscriptio donatoris latino sermone et litteris graecis ut sequitur:

† *Fl* (?) *Stefanos illustrios coemanens* (manens) *en cibitate neapolitanae oic cartoule a die presenti dona.... de sopra iscripta omnia enmobilia predia cui sount territorio Agoubino oubi oubi seou entro cibitate seou fori cibitate iouris mei a me facte en sancta ecclesia Rabennate ad omnia sopraiscripta relegi consensi et souscripsi et testes coui souscriberent rogabi* †. (sic)

Sequuntur nomina testium qui huic actui donationis suscripserunt et donationem ipsam traditam viderunt.

† Iohannes Dom. num. Dac [2]
† Varacius v. c. (vir clarissimus)
† Chrisogonus v. c. Cancel (Cancellarius)
† Marinus v. h. (vir honestus).
† .... (nomen est evanidum).

Post testium subscriptiones actum complevit et absolvit *Theudosius vir honestus tabellio Urbis Romae habens stationem in porticum de Subora* (Subura) *regione quarta* [3].

Explicit documentum cum notitia testium ubi habetur nomen quinti testis, quod in superiore parte est prorsus evanidum, et legitur *Domnicirius v. c. optio num. Eq. sermisi* [4].

Extabat papyrum in tabulario Vaticano unde Garampius superiore saeculo in Bibliothecam transtulit. Edidit Marinius (*Papiri*, n. XCII, tabula XII).

[1] Cf. MARINI, *Papiri* (*Annotazioni* p. 303).

[2] Domesticus numeri Dacorum.

[3] Marinius iudicavit hic intelligendam esse *porticum absidatam* quae notatur in catalogo regionario. Sed aedificium hoc adparet in catalogo tantum interpolato qui Marinii aetate nondum a genuino distinguebatur. Subura pertinebat profecto ad regionem quartam Augusti. Si documentum iudicari debeat cum Marinio saeculi septimi magis quam sexti, ab hac indicatione sequitur divisionem XIV regionum Augusti relictam non fuisse post gothicum bellum ut scripsit Duchesne (*Les régions de Rome au moyen-âge* in *Mélanges d'archéol.* 1890, p. 126 seqq.).

[4] Optio numeri equitum sermisiensium.

## Papyrum X.

(alt. 1.37, lat. 0.26)

Papyrum hoc est omnium huius collectionis vetustissimum; nam indicationem profert anni CCCCXLIV, consulatu Theodosii Augusti XVIII et Albini.

Continet partem epistolae *de administratione patrimonii Siciliensis* a quodam Lauricio conscriptae, qui fuit magister cubiculi Honorii Augusti et memoratur in libro pontificali Ecclesiae Ravennatis. Agitur in epistola *de massa fadiliana et de fundo partilatico* quae bona occupata fuerunt et hic vindicantur. Iubet etiam Lauricius administratori ut necessaria domui suae Ravennam quam cito mittat ut in horreo suo servari possent. Explicit epistola in linea 35ª cum salutatione « *Opto multos annos bene valeas* ».

Sequitur alia epistola eiusdem Lauricii ad actores seu administratores eiusdem patrimonii Siciliensis ut debitam praestent obedientiam Sisinnio conductori massae Fadilianae post egressum Pyrri tribuni. In linea 43ª legitur salutatio *Opto bene valeatis.*

Accedit tertia epistola eiusdem Lauricii Eleutherioni et Zosimo conductoribus. Agitur in ea de tributis conductorum; et post salutationem more solito *(opto bene valeas)*, incipit in linea 57ª elenchus praestationum in solidis quas *singuli conductores debebant* pro *patrimonio Siciliensi*, pro *massa Euporitana et Anniana*, pro *fundo operae*, pro *massa Fadilianensi*, et pro *massa Cassitana.*

Haec notitia adiecta est ad calcem epistolae a quodam actore domus Lauricii et continet in linea 67ª notam consulatus anni CCCCXLIV ut supra monuimus.

Explicit documentum tribus lineis; et in postrema nominantur *conductores Ecclesiae Ravennatis* qui patrimonii siciliensis administrationem gerebant.

Papyrum hoc dono dedit Maffeius qui edidit in *Hist. diplom.* p. 130. Edidit etiam Mabillonius (*De re diplomatica - Supplementum* p. 88). Inde Marinius (*Papiri* n. LXXIII qui specimen partis tantummodo dedit in tabula IIª, scilicet a linea 36ª ad lineam 74ª.

# TABULA V

(PROPE PORTAM PINACOTHECAE)

## Papyrum XI.

(alt. 1.20. lat. 0.32)

Fragmentum postremae partis testamenti quo Mannanes quidam filius Nanderit, gotico genere, ut e nomine coniici potest, heredem constituit ecclesiam catholicam Ravennatem. Tota pars superior quae donationem continebat desideratur; et testium subscriptiones tantum supersunt cum linea postrema consensus et subscriptionis eiusdem testatoris. Testes fuerunt:

« Iohannes vir st (strenuus)
« Emilianus v. d. scrin. gls (vir devotus scriniarius gloriosae sedis)
« Ricitane v. c. (vir clarissimus)
« Theodosius v. d. magls (vir devotus magistratus gloriosae sedis)
« Andreas v. h. (vir honestus)
« Quiriacus v. h. Orr. (vir honestus Horrearius)
« Petros v. h. Colectarios (qui subscriptionem suam graecis litteris et latino sermone erronee adiunxit hoc modo).

« *Petros v. h. Colectarios ouei testamenton rogatos a Mannane v. d. testatore filios comda Nardere epsou presente et souscrivente.... ei testamento relecton per con constetouet erede santa eclisa catolica Ravennate testes souscripsie* ┼ » (sic).

Sequitur, post spatium vacuum, subscriptio cuiusdam Iuliani scriptoris huius documenti, qui fuit adiutor Iohannis forensis et stationem habuit Ravennae apud ecclesiam s. Iohannis Baptistae.

Documentum ratificatur denique a Melminio Cassiano iuniore magistratu civitatis Ravennae Kalendis Aprilis anno secundo post consulatum imperatoris Iustini Augusti, scilicet anno christiano DLXXV.

Sequitur spatium ubi lineae circiter quatuordecim evanidae sunt et legitur adprobatio suprascripti Iohannis forensis cuius Iulianus scriptor adiutor erat, cui subest *notitia testium*, seu elenchus nominum eorumdem testium, qui supra.

Explicit documentum duplici adnotatione chronologica, scilicet diei V Kalendas Martias suprascripti anni DLXXV, quo Mannanes testamentum fecit, et diei primae Aprilis eiusdem anni quo testamentum ipsum traditum ac ratificatum fuit.

In aversa parte papyri (ut Marinius monet) repetita leguntur litteris exiguis nomina eorumdem testium.

Papyrum hoc Clemens XIV P. M. a marchione Mosca dono accepit et in Bibliothecam transtulit. Edidit Marinius (*Papiri*, n. LXXV) et specimen partis tantummodo dedit in tabula v.

## Papyrum XII.

(alt. 1.15, lat. 0.31)

Continet instrumentum venditionis fundi Genuciani in territorio Ariminensi cum casale pro solidis quatuordecim aureis (probatis, obrizatis) factae Holdigerno viro clarissimo a quodam Deusdedit. Instrumentum, initio mutilum, rogatum fuit Ravennae per Iulianum scriptorem; sed nota tèmporis in primis lineis extabat quae perierunt. Marinius alio documento fretus in quo venditio indicatur alterius partis eiusdem fundi Genuciani anno DXCI [1] et item Oldigerius ut vicinus nominatur, iudicat hoc papyrum aetatis inter annos DLXXX et DXC. Ad calcem documenti adest signum cruciforme suprascripti Deusdedit venditoris et sequuntur nomina testium, scilicet Eusebii adiutoris in scrinio canonum, Florentini ex praefecto pistorum, Oderici et Probi.

Sequuntur quatuor lineae graecis litteris sed rudi et erroneo latino sermone ut infra

† *Petros v. h. Kollectarios eis enstromentis sex ounciarum fondi Genitiani con casale sicout souperius legitour rogatous a ss. vendetore deoudedi v. h. coiou me presente signoum fecit et ei relictoum est testi souscrimpsi et ss. pretioum couatordecim soledos ei en presentia ss. conparatore annomeratour et tradi tous vidi* † (sic).

[1] V. supra Papyrum VII p. 7.

Post has lineas documentum concluditur hoc modo:

« ✝ Iulianus For (Forensis) civitatis Ravennae scriptor huius documenti sex unciarum fundi Geniciani cum casale sicut superius legitur a testibus roboratum et traditum in praesenti complevi et absolvi ✝✝✝.

Nomina testium

« Eusebius adiutor scrinii canonum qui manet ad sanctum Stephanum
« Florentinus ex praefecto pistorum qui manet ad scā agnite
« Odericus filius quondam Boherde
« Probus ex primicerio nomencolatorum (*sic*)
« Petrus collictarius ante custodiam charceris » (*sic*).

Papyrum inventum fuit Romae anno MDCXVII et a Paulo pp. V emptum et in Bibliotheca Vaticana repositum.

Ediderunt Doni *Inscr.* p. 474 seq. Maffei, *Histor. diplom.* p. 166 n. 11. Marini, *Papiri* n. CXXI.

---

# TABULA VI

---

## Papyrum XIII.

(alt. 2.05, lat. 0.30)

Continet acta ob destinationem *tutoris ad lites* pro filiis cuiusdam matronae viduae quae uxor fuit Gundhil, coram curialibus civitatis Reatinae. Nomina decurionum civitatis et tutoris et fideiiussorum sunt latina, alia vero sunt gotica; et documentum exaratum fuit a quodam Constantino iussu Flaviani tutoris. Quaeritur supradicta vidua quod vir eius *in quibusdam negotiis ante non multum temporis quam decederet fuisset pulsatus et quod eo defuncto calumniatores in orphanorum rebus vehementer insisterent* (lin. 35 et 36); et propterea elegit specialem tutorem pro duobus orphanis donec generalem postulet a matura deliberatione ordinis civitatis. Implorat autem ut ordo municipalis Flavianum tutorem statuat duorum puerorum, Lendarit atque Landarit.

Sequuntur acta huius negotii, scilicet interrogatio ad eumdem Flavianum utrum hoc officium tutelae libenter suscipiat et responsio ac promissio Flaviani hanc tutelam bene ac utiliter administrandi. Accedit decretum ordinis municipalis, quo dictus Flavianus tutor specialis duorum puerorum eligitur et ei causas illorum agendi potestas datur. Flavianus denique quemdam Liberatum ut fideiiussorem suae administrationis in medio profert, qui a magistratibus interrogatus pariter sponte ac libenter hanc fideiussionem sumere declaravit.

Ad calcem totius documenti sunt nomina curialium civitatis Reatinae et Flaviani tutoris, nec non Constantini qui scripturam exaravit, hoc modo:

« Ego Horanius v. s. Curial. civitat. Reat. his (gestis apu)d nos habitis edidi. ┼
« Ego Antonius v. l. Curial. civitat. Reat. (ut supra). ┼
« Ego Volusianus v. l. (u. s.). ┼
« Ego Decoratus v. l. (u. s.). ┼
« Ego Maximus v. l. (u. s.). ┼
« Ego Vigilius v. l. (u. s.). ┼
« Ego Flavianus v. h. his exemplaribus gestorum a me datis suscripsi quae per Constantinum v. d. comitiacum edidi. ┼
« Ego Constantinus v. d. comt̃ his gestis ex authentico edidi sub. d. VIII id. Decembris post consulatum Basili v. c. anno XVI ┼ (scilicet anno Christi DLVII) ».

In inferiore parte papyri addita fuerunt duo nomina testium anteriore saeculo labente adiuncta, tempore gallicae invasionis, cum Bibliotheca Vaticana sub potestate novi regiminis venit. In hac linea legitur: *Le Goulx et Charnot testes rogati ad hoc.*

Huic papyro damnum aliquod incendium intulit; nam foramen ab igne factum, ob documenti complicationem papyrum totum laesit.

Extabat papyrum hoc Venetiis in museo Capello ubi illud Montfaucon vidit: pervenit postea ad collectionem Maffeianam unde in Bibliothecam nostram transivit.

Editum fuit a Montfaucon *Diar. ital.* p. 64 Palaeogr. p. 15; a Maffeio *Hist. Diplom.* p. 161; et a Marinio *Papiri* n. LXXIX.

## Papyrum XIV.

(alt. 2.25, lat. 0.28)

Continet actum venditionis portionis cuiusdam fundi Concordiaci in territorio Faventino, factae a Thulgilona honesta femina et filiis eius cuidam Peregrino Vaistrino pretio solidorum centum decem aureorum — Stipulatio rogata fuit Ravennae per Candidianum inter annos DXXXIX et DXLVI, prout constat ex linea 75ª ubi adest indicatio chronologica mutila et legitur tantum .... *quinquies p. cons. ss.* (post consulatum suprascriptum).

Haec adnotatio convenit tam anno DXXXIX, quinto post consulatum Paulini, quam anno DXLVI, quinto post consulatum Basilii, qui postremus fuit inter consules privatos [1].

Inter possessores fundorum circumstantium legitur nomen cuiusdam Andreatiis *praepositi dromonariorum*, quod officium hic primum adparet [2].

Temporis notae sequuntur subscriptiones Thulgilonis h. f. (honestae feminae) venditricis et filiae eius Dominicae et suscriptio Deutherii filii eiusdem Thulgilonis *qui consensiens relegit et suscripsit* et declarat se pretium accepisse aureorum centum et decem.

Nomina testium qui stipulationi interfuerunt et pretium suprascriptum traditum viderunt sunt

« † Serapion v. st (vir strenuus) ad. n̄ (adiutor numerariorum?)
« † Opilio v. st: (vir strenuus)
« † *Ioulianos v. h.* (vir honestus) *argentarios.* »

[1] « De consulatu Basilii et de notis post varios consulatus eiusdem » Cf. De Rossi, *Inscriptiones christianae*, Vol. I p. 502, 503.

[2] Dromonarii erant remiges; et eorum mentio fit in litteris Regis Theodorici, (Cassiod. Variar. Lib. II, ep. 31, Lib. IV, ep. 18) et in libro pontificali Ravennate. — Eiusdem originis est nomen *catadromarii*, quod in inscriptione quadam habetur coemeterii S. Sebastiani extra urbem. Catadromarius idem est ac agitator circensis seu auriga.

Iulianus iste testimonium suum latino sermone sed graecis litteris scripsit hoc modo:

« *Ioulianos v. h. argentarios eis eistromentis vigentai jougerou fundei Konkordiacos rogatos a Torbilione of. matre et ab ejoscoi filieis domneca of. et deuterio v. h. ss ... inditoreuos eipsis presentebous testis soscripsi et ss pretio auri soledos centou decei eieis en presentia tradetos vidi* † †

« † Petrus v. h.

« † ... Cl (Claudius?) Latinus. »

Ad calcem totius documenti nomina testium eodem ordine repetuntur sed litteris parvis. Sequuntur tres lineae alia manu exaratae in quibus nomina duorum curialium seu decurionum leguntur Candidiani scilicet et Generosi. quibus praesentibus traditio fundi facta est iuxta morem. In linea postrema nomen superest cuiusdam Eusebii qui fuit *obsonator D. n.* (Domini nostri), scilicet curator conviviorum principis. Iuxta nomina testium, dextrorsum respicientis, posteriore aetate hi versiculi additi sunt.

*Tantum ego carminibus superavi Sapho puellas*
*Moeonides quantum vicerat ante viros*

Ediderunt Donius, *Inscr. ant.* p. 480. Maffei, *Hist. diplom.* p. 151. Marini, *Papiri* CXIV.

---

# TABULA VII

## Papyrum XV.

(alt. 0.82, lat. 0.30)

Fragmentum papyri lineis 49 constans sed initio mutilum. Continet actum donationis seu transactionis vel abrenuntiationis sanctae Ravennati Ecclesiae per quemdam Ioannem virum magnificum et consulem. Donatio facta est alteri Ioanni archiepiscopo et successoribus eius; et in ea haeredibus poena pecuniaria auri obrizi comminatur si voluntati donatoris resistant.

Confirmat hoc ipsum donator iuramenti sacramento (*iurata voce dico*) et per sanctam sedem apostolicam et vitam *dominorum nostrorum*.

Cornelius quidam actor et rogatarius personam absentis archiepiscopi gerit. Insunt nomina testium qui actui interfuerunt, ut sequitur:

« Iustus Consul
« Leo notarius
« Lupus tabellio
« Petrus consul et tabellio territorii Cumraclensi (?)
« Ioannes filius condam Reginaldo
« Martinus clericus et tabellio territorii faventini. »

Eadem nomina repetita leguntur in *notitia testium* more solito. Nomen Martini tabellionis territorii faventini, qui fuit etiam huius actus extensor, monstrat chartulam Faventiae exaratam fuisse.

Aetas documenti liquet ex forma litterarum quae saeculo nono convenit et ex nomine archiepiscopi Ravennatis Ioannis qui sedem illam rexit ab anno 850 ad annum 878; ut docuit cl. Cozza qui primam huius documenti editionem dedit. Sed arctioribus finibus aetas ipsa coarctari potest, ut laudatus scriptor monuit, ob indictionem secundam quae in linea 17ª notatur hoc modo.

« *Chartulam ... testibus .,. obtuli subscribendam eamque contradedi sub die mense et indictione suprascripta secunda.* »

Si autem haec indictio secunda cum notitia eiusdem papyri concilietur quod nempe duo tunc regnarent Augusti, donationem hanc anno 854 locum habuisse procul dubio erit. Hoc anno revera, illa indictione currente, Lotarius et Lodovicus filius eius occidentale regebant imperium.

Papyrum hoc a bibliotheca Burghesiana in Vaticanum venit anno 1891 munificentia Leonis XIII. P. M.; et editum fuit a viro clarissimo Iosepho Cozza-Luzi bibliothecae nostrae propraeside in actis coetus pontificii archaeologiae romanae anno 1892.

## Papyrum XVI.

(alt. 0.12, lat. 0.30)

Parvum fragmentum papyri prorsus mutilum in quo pars tantum superest trium linearum. Verbum *usufructus* quod in tertia linea adparet monstrat papyrum hoc partem fuisse instrumenti venditionis vel stipulationis.

Venit cum superiore papyro e bibliotheca Burghesiana et editum pariter fuit a cl. Cozza loco iam citato.

## Papyrum XVII.

(alt. 0.32, lat. 1.40)

Papyrum duobus fragmentis constans. Primum quod est parvum fragmentum sinixtrorsum respicientis reliquias continet 14 linearum in quibus verba quaedam tantummodo servantur unde sensus nullus conici potest.

In altero continetur confirmatio actus donationis cuiusdam Boni bracarii, et Martiriae uxoris eius pro Ecclesia Ravennate. Supradicti coniuges testantur se donationem hanc iam prius Liberio tabellioni dictasse et ibi signa adprobationis manu propria fecisse una cum testibus ad hoc rogatis. Donatio confirmatur pro Ecclesia Ravennate personae Petri archiepiscopi sex unciarum omnium bonorum et septem unciarum cum dimidio fundi qui vocatur *quadrantole*, servato iure usufructus. Indicatio chronologica indictionis quintae, nomini Petri archiepiscopi coniuncta, annum sine dubio profert DLXXII.

Sequitur rogatio magistratui ut actum confirmet et ab exceptore Gundefrit *munimen* petitur seu documentum ad ius possessionis demonstrandum.

Ad calcem documenti adest adprobatio magistratus ut sequitur cum nominibus testium.

« ┼ Melminius Laurentius et iterum mag. ut petisti gesta vobis dabuntur « ex more.

« ┼ Melminius Laurentius et iterum mag. gesta apud me habita recognovi.

« ┼ Melminius Bonifatius v. l. gestis apud nos habitis subscripsi.

« ┼ Melminius Iohannis iun. his gestis apud nos habitis suscribsi.

« ┼ Gunderit Except. Curiae Civ. Rav. his gestis ededi.

Papyrum ad collectionem Donianam et postea ad Vettorianam pertinuit, unde in Vaticanum pervenit. Pars altera huius papyri Marini temporibus servabatur in Bibliotheca Ariminensi Gambalunga (*Papiri* p. 289).

Ediderunt Doni, *Inscriptiones* p. 502; Marini, *Papiri* LXXXVIII. A.

---

# TABULA VIII

(SUPRA PORTAM MUSEI CHRISTIANI)

---

## Papyrum XVIII.

(alt. 0.35. lat. 2.70)

Papyrum magnae extensionis initio carens et duobus fragmentis constans male inter se coniunctis.

Continet actum concessionis emphiteuseos fundorum et balneorum iuris Ecclesiae Ravennatis in territorio Ariminensi, Theodoro Calliopae qui titulum profert gloriosi praefecti et Annae uxori et filiis eius. Fuit hic bis exarchus Italiae ab anno DCXLVIII ad annum DCLXI sub imperio Costantis secundi, cuius tyranni iussu Martinum I$^{um}$ Roma abduxit; unde invictus ille pontifex exilium magno animo pertulit et Constantinopoleos vitam glorioso exitu coronavit.

Vocabula et nomina notabiliora in actu emphiteutico maioribus litteris exarata sunt fortasse manu archiepiscopi Ravennatis qui concessionem fecit.

Sequuntur conditiones emphiteuseos; scilicet ut conductores agricolis operibus fundos in melius reducant, sin autem e concessionis iure decidant et bona omnia ad Ravennatem Ecclesiam revertantur.

Concessionem archiepiscopus scribendam dictavit Paulo notario Ecclesiae Ravennatis et manu propria subscripsit.

In linea postrema indicatio chronologica instrumenti refertur ad annum regni et consulatus imperatoris Constantis secundi, qui in documenti initio notatus procul dubio erat.

Explicit documentum cum signo adprobationis archiepiscopi ✝ *Legimus* ✝

Papyrum hoc in collectione Petri Vettori servatum fuit usque ad pontificatum Benedicti XIV, qui illud emit et in Bibliothecam Vaticanam transferri iussit.

Ediderunt Maffei, *Hist. diplom.* p. 172 n. XIV; Marini, *Papiri* n. CXXXII.

# TABULA IX

(PROPE PORTAM MUSEI CHRISTIANI)

## Papyrum XIX.

(alt. 0.58, lat. 0.27)

Actus Ravennae exaratus ob traditionem faciendam portionis fundi *Roborata* in territorio faventino a magistratibus Faventiae cuidam Laurentio emptori fundi suprascripti. Epistola missa fuit ordini civitatis Faventinae a Milanio et Gerontio venditoribus sub die XII. Kal. Aprilis, anno sexto post consulatum Paulini iunioris, scilicet anno DXL. Insunt subscriptiones Milanii et Gerontii et nomina testium Petri et Danielis.

In linea 16 legitur *signum* ✝ *Milani v. h. venditoris.*

Il linea 17 *signum* ✝ *Gerontii v. h. venditoris.*

Emptum fuit hoc papyrum tempore Grimaldii qui apographum fecit anno 1617. Ediderunt Doni (p. 478) et Marini, *Papiri* CXVI.

## Papyrum XX.

(alt. 0,62, lat. 0,26)

Continet actum donationis cuiusdam Stephani et uxoris eius Dignae Petronaci archiepiscopo Ravennati ex duobus fundis cui nomina sunt *Sala et Cufianello* in territorio Corneliense prope Imolam et ex fundo *Blascamio* in territorio Faventino. Documentum quod est in fine mutilum indicationem chronologicam profert anni undecimi regni Ludovici Pii et octavi filii eius Lotharii indictione secunda, scilicet anni DCCCXXIV ut recte monuit cl. Cozza qui errorem fortasse typographicum notavit in opere Mariniano ubi annus adsignatur DCCCLIV [1]. Archiepiscopus Petronax Ravennatem rexit Ecclesiam ab anno DCCCXVII ad annum DCCCXXXIV [2].

[1] In chartula sub papyro recte notatur annus DCCCXXIIII.

[2] Cf. Cozza, *Di un nuovo papiro ravennate* etc. pag. 29.

In aversa parte papyri legitur iuxta Marinium « *Iohannes Petrus et Paulus Honori de Staffilo Aldi Manutii heredes et nepotes Bibliothecae Vaticanae dono dederunt.* »

Ediderunt Doni, *Inscript.* pag. 485; Marini, *Papiri* XCVII.

---

# TABULA X

(PROPE PORTAM MUSEI CHRISTIANI)

---

## Papyrum XXI.

(alt. 0,30, lat. 0,25)

Fragmentum donationis fundorum *Sclariani et Domicilii* continens nomina testium manu tabellionis ut sequitur:

« ✝ Theofanius filius quondam Theodosio testes ut supra.
« Vitalis fil. Calionoro test. u. s.
« Iohannotis mil.
« Petrus ex trib(uno) num. iun. (numeri iuniorum).
« .... Tabellio huius civitatis Ravennae scriptor huius chartulae. »

Post quatuor linearum spatium sequitur « *Notitia testium idest.* »

« Apolenario v. c. domc num. inv (domesticus numeri invicti).
« Teophanis v. h. fil. quondam Theodosio.
« Vitalis v. c. filius Calionoro. »

Documentum videtur saeculi noni.
Edidit Marini, *Papiri* CXI.

## Papyrum XXII.

(alt. 0,50, lat. 0,30)

Fragmentum parte corruptum continens actum donationis vel restitutionis Ecclesiae Catholicae Ravennati bonorum sectae arianae tempore Iustiniani Augusti et archiepiscopi Agnelli qui sedem occupavit ab anno DLVI ad annum DLXIX.

Notantur in superiore parte fragmenti nomina fundorum et summae solidorum et mentio fit militum numerariorum qui negotium restitutionis huius egerunt.

Documentum est alicuius momenti ad historiam illius temporis illustrandam; et testimonium libri pontificalis Ravennatis de his rebus sub Iustiniano gestis confirmat.

Ediderunt Doni p. 482; Marini, *Papiri* CXXXV.

## Papyrum XXIII.

(alt. 0,22, lat. 0.30)

Fragmentum novem lineis constans, quod ad documentum pertinet a Marinio ex quatuor partibus disiectis deinde recompositum. Idem auctor venditionem sex unciarum alicuius domus in hoc documento recognovit et ibi nomen exarchae Italiae Eleutherii indicavit (anno DCXVI-DCXIX).

Fragmentum nunc vaticanum Marinii temporibus Mantuae servabatur in domo comitis Nigrisoli; et editum fuit cum aliis partibus ab ipso Marinio *Papiri* CXXIII n. 11. (Cf. Maffei *H. D.* p. 173).

## Papyrum XXIV.

(alt. 0,25, lat. 0,20)

Fragmentum decem et septem lineis constans et actum continens manumissionis servorum cuiusdam Flavii Iohannis — In actu manumissionis additur donatio quorumdam fundorum ne servi ipsi *nudum libèrtatis beneficium* haberent (linea 8ª).

Ediderunt Doni, *Inscr.* p. 491; Marini, *Papiri* CXLI.



ROMA FOT. DANESI

FRAGMENTUM DIPLOMATIS LEONIS PAPAE IV.

( *Archetypi dimensiones* alt. 0,58 - lat. 0,37 )

# ADDITAMENTUM

(VIDE TABULAM PHOTOTYPICAM)

Exemplum phototypica arte expressum alicuius papyri collectionis nostrae lectoris oculis subiicere operae pretium existimavi, ut descriptio nostra utilior evaderet. Ex papyris adhuc descriptis illud selegi, cuius Num. I recensionem dedi, quod epistolae fragmentum continet Leonis papae quarti et in tabulis Mariniano operi adiectis non adparet. Reproductioni quae in tabula ad calcem voluminis sequitur transcriptionem textus, lineis ut in exemplari distributis, addam.

1. . . . . *tionis*
2. *donatione nostra nostrorumque successor pontificum*
3. *si quis vero contra hoc nostrum apostolicum praeceptum egerit*
4. *componat auri obrizi libras quinque insuper etiam anathematis* [1]
5. *vinculis sit innodatus et perpetuae condemnationi submissus*
6. *quod praeceptum condemnationis a nobis factum scrivendum*
7. *praecepimus Stephanus scrinario sedis nostrae in mense*
8. *septembrio die quinta ind quartadecima* ✝ Bene Valete ✝
9. *Pridias Kalendas septembrias per manum Tib Primic scae.*
10. *sedis apostolicae imp. dn̄ n. piiss pp Augusto Hlothario a Do*
11. *coronato magno imp anno tricesimo tertio et p. c. eius anno*
12. *tricesimo tertio sed et Hludovico nobo imp. eius filio anno.....*

(E papyro pendet bulla plumbea in qua legitur ex una parte ✝ LEONIS ✝ ex altera ✝ PAPAE ✝).

Hoc fragmentum Romae asservatum Paulus V P. M. anno MDCXVII emit et in vaticana Bibliotheca reponi mandavit, prout colligimus ex Grimaldio qui in cod. vat. lat. 6064 ectypon dedit.

Transcriptionem alteram eiusdem papyri habemus in codice vaticano latino N. 9474. In eodem codice epistola servatur marchionis Gualterii ad Angelum Maium sub die IX mensis Iunii anni 1821 qua ipse, qui tunc nescio quomodo fragmenti possessor erat, doctissimum virum rogat, tunc Bibliothecae praefectum,

[1] Quarta linea est fere evanida, ita ut pars tantum dextrorsum nunc dignosci possit.

ut papyrum hoc una cum alio (N. II) Pio VII pontifici maximo dono missum suo nomine offerre velit [1]. Idcirco in papyro ipso legitur inscriptio « *nobilium Gualteriorum donum* » ut supra pag. 2 iam diximus.

Papyrum istud alicuius momenti iudicari debet non argumenti caussa, quippe donationis tantum et valde mutilum textum exhibeat, sed persona cui refertur spectata atque aetatis gratia qua exaratum est. Illius revera pontificis nomine donatio illa est facta, qui in primaeva aetatis mediae historia celeberrimus inter omnes fuit et ob Italiam a Saracenis liberatam sibi aeternam famam promeruit. Nota chronologica, qua papyrum nostrum praeditum est annum DCCCXLIX post Christum certe indicat. Hoc eodem anno pontificis ipsius ductu contra infideles christiana classis ad ostia tiberina dimicavit atque insignem illam retulit victoriam, quae Italiam omnem ab Islamitarum incursione procul dubio liberavit.

Ad arcendum tunc invasionis novae contra urbem periculum, basilicam B. Petri idem pontifex muro circumdedit et civitatem in transtiberina regione aedificavit quam de nomine suo *Civitas Leoniana* appellari voluit, et cuius moenia ac turres praesertim in viridario pontificio etiam nunc visuntur. Huic aedificationi Lotharius imperator non solum adnuit sed pontifici, donis largiter missis, opem tulit; Lotharius ille cuius nomen in papyro nostro cum titulis piissimi et perpetui Augusti a Deo coronati adparet. In linea postrema nomen etiam legitur Ludovici eius filii, cui titulus novi imperatoris donatur; qui vere non ad pontificiam coronationem illius, nam haec insequenti anno DCCCL locum habuit, referri potest, sed ad priorem principis coronationem a patre Lothario iam peractam [2].

Leonianum hoc papyrum, quod donationis vel privilegii cuidam ecclesiae seu monasterio testimonium exhibet, vigilantiam et apostolicam sollicitudinem praeclari illius pontificis magis magisque nobis ostendit; qui praesul eximius cum tot et tanta sustineret negotia, inter ipsos ut ita dicam gladios hostiles, illo eodem anno memorabili nihil pastoralis officii et curae intermisit, sed invicto animo tam magna quam parva aeque gerebat.

Iuvabit etiam aliquid ulterius observari de alio papyro quod est eadem in tabula expositum et Bibliothecae nostrae simul cum superiore a Gualteriis donatum (v. N. II). Videtur papyrum esse ex quatuor de quibus elenchum dedit Fulvius Ursinus in cod. vat. lat. 7205 fol. 52. Textus ad vicissitudines saeculi octavi innuere fortasse potest et idcirco huic saeculo illum adscripsimus (cf. pag. 2); sed palaeographia

[1] Papyrum iam non amplius in vaticano extabat anno 1773, ut legimus in codice vaticano 9520 cui titulus *Le monete ed i piombi dei papi* (a. 1773).

[2] Cf. Gregorovius, *Geschichte der Stadt Rom im mittelalter*, ed. 1890, Vol. III, pag. 105.

posterioris aetatis est iudicanda; et subter vestigia antiquioris scripturae prorsus evanidae hinc inde adparent. Huius papyri, quod in Mariniano opere desideratur, transcriptionem hic addere utile profecto erit.

1. ..... *illi ... ris sa ... dotis antiquit ... is*
2. ..... *spira ... vero atque seditiones quae aliquando ab ... iis*
3. *fuerunt contra scos et martires di... vra civitate ortae fuerint contra vos successores*
4. *que vros noscant se coposituros illi qui hoc facere presupserint.. auri libras centu pauperes e*
5. *iamq: in corpore suo condigna habeant correptione. sacerdotes cleru tonsos sanctimonia ...*
6. *feminas actores ecclesiasticos l.... scos aut comendatos eccle diverso sexu staurophor ...*
7. *coplreos strator vei cuncta familia sce rav. aecclae tam in civitate ravenna quaq et extra ...*
8. *per diversa loca vel territoria residentis nullus psumat eos ad publica functione aut directio*
9. *nem adducere pro qualibet causa sed sub vra potestate successoribq vris constituimus diri*
10. *gendu et iudicandu. similit et epos in romania degentes vrae cedim. almitati qui sub vra ext..*
11. *ordinacione que admodu nri successores vre sce rav. largiti sunt aecclae ut deinceps*
12. *p. e.... inrefragabiliter .... runt vra sanctitas successsoresque vri omni remota ambigui*
13. *tate quale(m)cu(m)que personam decreveritis ordinare vrae sit successoruque vrorum potestati ...*
14. *di et ordinandi secdum pristinam vrae ecclae forma ut nulla a nobis successoribusque nris in perpetum*
15. *sit facultas de predictis epis dandi aut largiendi sed ut prediximus in omnibus vobis successorib.*
16. *vris sit dandi facultas. pro aeterna namque stabilitate et perpetua eiusdem ecclae suorumque sa*
17. *cerdotu pace in hac nra auctoritate adnecti placuit ut quicumque ea violare presupse*
18. *rit cogatur eidem eccle persolvere penas auri libras centu. hec vero nra auctoritas*
19. *ut ab omnib observetur et verius credatur diligentiusque custodiatur more nro subscribi ...*
20. *et de bulla nra subter iussim. sigillari.*

## PROSPECTUS PAPYRORUM IUXTA AETATEM DISPOSITUS


| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| *Saeculum quintum* [1]. | — Papyrum | X | (a. 444) | pag. | 12 |
| *Saeculum sextum.* | — Papyrum | XIV | (a. 539-46) | » | 17 |
| | » | VIII | (a. 540) | » | 9 |
| | » | XIX | (a. 540) | » | 22 |
| | » | XXII | (a. 556-569) | » | 24 |
| | » | XIII | (a. 557) | » | 15 |
| | » | XVII | (a. 572) | » | 20 |
| | » | XI | (a. 575) | » | 13 |
| | » | XII | (a. 580-90) | » | 14 |
| | » | VII | (a. 591) | » | 7 |
| | » | XXIV | (a. incerti) | » | 24 |
| *Saeculum septimum.* | — Papyrum | XXIII | (a. 616-619) | » | 24 |
| | » | V | (a. 625) | » | 4 |
| | » | XVIII | (a. 648-61) | » | 21 |
| | » | IV | (a. incerti) | » | 4 |
| | » | VI | ( » ) | » | 5 |
| | » | IX | ( » ) | » | 10 |
| *Saeculum nonum.* | — Papyrum | XX | (a. 824) | » | 22 |
| | » | I | (a. 849) | » | 1 |
| | » | III | (a. 852) | » | 2 |
| | » | XV | (a. 854) | » | 18 |
| | » | XVI | (a. incerti) | » | 20 |
| | » | XXI | ( » ) | » | 23 |
| *Aetatis incertae.* | — Papyrum | II | | » | 2 |


[1] Hoc est unicum papyrum ex vaticanis quod certe ad saeculum quintum referri potest. Nam illud vaticanum erronee nuncupatum et eidem saeculo a quibusdam adsignatum (cf. Carini, *Il papiro etc.* pag. 26) extat in caesarea Bibliotheca vindobonensi (cf. Marini, *Papiri* n. LXXXIII).

# INDEX NOMINUM ET LOCORUM


A

Adquisitus optio, 5.
Agnellus archiep., 24.
Albinus consul, 12.
Aldus consul, 3.
Aldus Manutius, 23.
Andreas consul, 3.
Andreas vir hon., 13.
Anna, 21.
Anniana (massa), 12.
Antonius, 16.
Apollinaris (sanctus), 2, 3.
Apollinaris vir. clar., 23.
Ariminense territor., 7, 14, 21.
Armatus Scholarius, 5.

B

Benedictus VIII P. M., IV.
Benedictus XIV P. M., V, 21.
Blascanius (fundus), 22.
Bo vel Bono tabellio, 5.
Bonus Bracarius, 20.
Bulonianus (fundus), 5.

C

Candidianus, 17.
Carini, III, IV.
Cassitana massa, 12.
Centum (fundus), 9.
Charnot, 16.
Chrysogonus v. c., 11.
Claudius Latinus, 17.
Clemens XII P. M., V.
Clemens XIV P. M., V, 14.
Constans II imper., 21.
Constantinus comitialis, 16.
Constantinus, 15.
Corneliense territor., 22.
Cozza-Luzi, III, VII, 19, 20, 22.
Cufianello fundus, 22.
Curpinianus fundus, 4.

D

Decoratus, 16.
Deusdedit, 14.
Deusdedit exceptor, 9, 10.
Deutherius, 17.

Digna, 22.
Domicilium (fundus), 9, 23.
Dominica, 17.
Dominicus, 9.
Domnicirius optio, 11.
Donius, (passim).

**E**

Eleutherius exharchus Italiae, 24.
Eleutherius conductor, 12.
Emilianus scriniarius, 13.
Eugubina (civitas), 10.
Euporitana (massa), 12.
Eusebius adiutor, 14.
Eusebius obsonator, 17.

**F**

Fadiliana (massa), 12.
Faium, IX.
Fantutius, 3.
Faventinum territor., 9, 14, 22.
Felix defensor eccles. rom., 7.
Firmilianus, 10.
Flavianus, 16.
Flavius Florianus, 10.
Flavius Iohannes, 24.
Flavius Severus, 10.
Florentius ex praef. pistor., 14.

**G**

Gambalunga, 21.
Garampius, 1, 11.
Generosus, 17.
Genucianus (fundus), 14.
Gerontius, 22.
Gregorius magnus, v.
Gregorius XVI P. M., VIII.
Gregorovius, 26.
Grimaldius, v, 1, 22.
Gualterius, 2. 26.
Gunderit exceptor, 20.
Gundhil, 15.

**H**

Heraclius imperator, 5.
Holdigernus v. cl., 14.
Honoratus tabellio, 7.
Horanius, 16.

**I**

Imola, 22.
Iohannes archiep., 3, 18.
Iohannes abbas, v.
Iohannes tabellio, 3.
Iohannes domesticus numeri dacorum, 11.
Iohannes vir. stren., 13.
Iohannes vir magn. et consul, 18.
Iohannes forensis, 13.
Iohannes fil. Reginaldi, 19.
Iohannitis miles, 23.
Iulianus scriptor, 13.
Iulianus argentarius, 17.
Iulinus, 5.
Iustinianus imperator, 24.

Iustus consul, 19.
Iuvinus, 5.

K

Krebs, IX.

L

Landarit, 15.
Latinus Claudius, 17.
Laurentius, 5. 22.
Lauricius magister cub. Honor. imp., 12.
Legoul, 16.
Leo PP. IV, 1.
Leo XIII P. M. VII, 19.
Leo Isauricus, 2.
Leo notarius, 19.
Leoniana civitas, 26.
Leutherius, 3.
Lotharius imper., 1, 3, 22, 26.
Ludovicus pius imper., 22, 26.

M

Maffejus, (passim).
Majus Cardin., 2, 26.
Mannares, 12.
Mantua, 24.
Marinius, (passim).
Marinus vir hon., 11.
Martinus I P. M., 21.
Martinus tabellio, 19.
Martyria, 20.
Mauricius Tiber. imper., 7.
Maximus, 16.
Melminius Cassianus, 13.
Melminius Bonifatius, 20.
Melminius Iohannis, 20.
Melminius Laurentius, 20.
Mengs, V.
Michael III imper., 3.
Milanius, 22.
Modicia, V.
Montanus notarius, 9.
Muratorius, 10.
Museum aegyptiacum vaticanum, VIII.
Museum vindobonense, IX.

N

Nanderit, 12.
Nigrisoli (comes), 24.

O

Odericus, 14.
Opilio vir. stren., 17.

P

Pacificos, 7.
Panormus, I.
Partilianus (fundus), 12.
Paulinus consul, 17.
Paulinus junior, consul, 9, 22.
Paulus pp. V, (passim).
Paulus notarius ecclesiae, 21.
Paulus argentarius, 9.
Peregrinus vastrinus, 17.

Petronax archiep., 22.
Petrus archiep., 20.
Petrus consul, 12.
Petrus vir hon., 17.
Petrus ex trib. num. jun., 23.
Petrus collectarius, 13.
Petrus, 3.
Pius VI P. M., v
Pius VII P. M., 26.
Pompilius Plautus, 10.
Porticus de Subura reg. IV, 2.
Probus, 14.
Pyrrus tribunus, 12.

## Q

Quiriacus horrearius, 13.
Quiriacus, 10.

## R

Ranierius dux, IX.
Ravennas ecclesia, (passim).
Reatina civitas, 15.
Reparatus praepos. curs., 9.
Ricitane v. c., 13.
Roborate (fundus), 22.
Romania, 2.
Romulus silentiarius, 9.
Rusticiana, 7.

## S

Sala (fundus), 22.
Salerianus (fundus), 23.
Sapho, 17.
Serapion, 17.
Siciliae patrimonium, 12.
Sisinnius conductor, 12.
Sisivera, 5.
Staffilo (de), 23.
Stephanus vir. magn., 10.
Stephanus scriniarius, 1.

## T

Theodolinda Regina, v.
Theodorus calliopa, 21.
Theodosius imper., 12.
Theodosius magistratus, 13.
Theophanius, 23.
Theudosius vir. hon. tabellio urbis Romae, 11.
Thulgidona, hon. fem. 17.
Tiberius primicerius, 1.
Tzitane, 7.

## V

Varacius vir. cl., 2.
Vettorius (Petrus), 21.
Vigilius, 16.
Vitalis monetarius, 9.
Vitalis testis, 23.
Volusianus, 15.

## Z

Zosimus, conductor, 12.

# L'AULA DEI PAPIRI

NELLA

## BIBLIOTECA VATICANA

LETTERA

DI

GIUSEPPE COZZA-LUZI

SOTTO BIBLIOTECARIO DI S. ROMANA CHIESA

AL PROFESSORE

ORAZIO MARUCCHI

*Pregño Signor Professore,*

Riesce ben grata cosa il potermi associare in qualche modo, sebbene quasi del tutto estrinseco, ai suoi eruditi lavori sopra i papiri vaticani descrivendone l'aula che da' medesimi prende il nome, e che forma l'oggetto di tanta ammirazione per tutti [1]. Non farò che dare alquante notizie storiche ed artistiche relative alla medesima, le quali purtroppo non sono affatto od abbastanza note. Il che facendo in forma epistolare, avrò l'agio di poter più facilmente riunire in breve non poche disparate cose, e presentare così questa relazione non meno esatta che piacevole di una splendida parte dei tesori che racchiude il Vaticano.

## I.

### *Topografia dell'aula nella Biblioteca.*

Un lungo corso di aule susseguentesi l'una all'altra formano quel mirabile sfondo della vaticana biblioteca, il quale dall'ingresso prossimo ai giardini e al cortile della Pigna di bronzo si avanza per metri

[1] Il famoso Gaetano Marini nel magistrale suo lavoro: *I Papiri diplomatici raccolti ed illustrati*, Roma 1805, così appunto comincia la prefazione: « La ricca e nobil camera (gabi- « netto amano nominarla moltissimi) destinata a dar ricovero a' Papiri nella Biblioteca Vaticana, « era già al suo termine giunta, quando io divenuto Prefetto degli Archivi secreti, mi recai ad « abitare il Palazzo Pontificio... ». Fin dall'epoca di Clem. XIV egli fu eletto coadiutore. Veggansi le *Memorie stor. sugli archiv.* stampate dal Mai, 1815, p. 23.

oltre i 327 [1] sino alla grande finestra, ove ora è il mirabile ritratto diafano in cristallo a smaglianti colori fatto a Pio IX dal re di Baviera: la qual finestra dà sull'ingresso boreale del palazzo pontificio e sta di fronte a quelle della cappella Sistina. In questa lunga fuga le sale han quasi tutte doppia luce, cioè dalla parte meridionale verso il cortile del Belvedere e sull'opposto lato verso i giardini. L'antepenultima poi verso il mezzodì, se non lunga come altre, pure è di tutte la più magnifica e si appella *Aula de' Papiri.*

E questa è così chiamata, anzi la è tale, non solo perchè ivi son raccolti diversi di siffatti preziosi cimelii dell'antichità, ma perchè fu appunto per questi specialmente costruita. Ogni cosa vi è fatta, architettata e dipinta a questo solo scopo; ed il tutto fu eseguito non solo con molto gusto di specialità e proprietà delle cose, ma eziandio con una magnificenza sovrana. La sua ricchezza la fa ritenere come una delle più nobili stanze della regia vaticana, in modo che, eziandio facendo astrazione dal tesoro letterario depositatovi, forma la maraviglia de' visitatori. Ciò si parrà meglio ancora a chi legge questi semplici cenni e gitta uno sguardo sulle riproduzioni che qui uniamo, prese fotograficamente.

## § II.

### *Descrizione generale dell'aula.*

Lungo il corso della galleria tra le due sale del Museo sacro [2] e la raccolta pittorica del rinascimento dell'arte [3] si trova quest'aula dei Papiri, la quale misura una lunghezza di metri 7,98 per una larghezza di metri 6,12. Il pavimento messo a varii marmi con disegni, come può

[1] Diverse misure, notizie e riscontri furono opera dell'accuratezza dell'addetto alla Biblioteca, Salv. Volpini.

[2] De Rossi, *La biblioteca ed i gabinetti annessi...* 1884, e *Nuovi incrementi al museo..*, 1891.

[3] Nella fototipia si vede in fondo l'epigrafe di Gregorio XVI per questa collezione.

vedersi nella Tavola fototipica, ha pure grandi stelle in metallo [1], come che tratte dallo stemma di chi ordinò il lavoro.

Le pareti all'ingiro son coronate a metri 5,07 da una larga zona piana a marmo giallo adornata di doppia greca dorata che fa da architrave, sulla quale poi s'imposta la volta della sala.

Queste pareti poggiano su piccola base o zoccolo di marmo africano, la quale gira intorno intorno. Ai quattro angoli poi della sala si levano a forma concava quattro grandi pilastri, che sorreggono l'architrave suddetto; hanno i capitelli formati da listello ed ovolo e serto di quercia con bacche, ed abaco liscio; il tutto dorato. Questi quattro pilastri ovvero piedritti smussando le rientranze degli angoli a concavità mostrano il piano con baccellatura da cima a fondo, e sono tutti in granito bigio orientale e protetti nelle due estremità da bastoncini o cordoni metallici dorati per tutta la loro altezza [2].

Nelle pareti laterali si aprono pure a tutta altezza due grandi finestre in granito rosso poggiate sulla stessa base di marmo africano, e si alzano sino alla zona gialla che pur sostengono, e negli angoli e nelle loro mensole superiori vanno ornate di metallo; i loro sguanci sono in granito bigio, che si unisce ad una fascetta di marmo fior di persico posta intorno alla luce. Sotto il vano della finestra corre una fascia scavata di marmo giallo ornato in metallo a rilievo col fregio detto *cane-corrente;* il quale ornamento alla stessa altezza gira intorno alla sala ed è richiamato fin sulle porte. Il parapetto poi è formato da grande tavola di porfido scuro colla bugna media a rilievo.

Tra gli stipiti e le colonne, la parete rincassata da listelli o fascette di fior di persico, ha simile nel basso l'ornamento della tavola

[1] Abbiamo nei conti del Palazzo Vat. di che diremo, anche quelli del metallaro per i diversi lavori di questa sala, cui furono pagati in scudi 5021.

[2] Il marmorario Romagnoli fa ricevuta di scudi 7497,17 per i suoi lavori dal 7 dicembre 1773 al 1776. Si ha pure la sua nota di marmi adoperati, come granito bigio e rosso, porfido, giallo antico, e giallo di Siena, fior di persico ecc.

porfiretica e la zona gialla col suo cane corrente. Al di sopra si apre la grande custodia, ove sono i quadri a bella cornice in foglia di metallo contenenti i papiri sotto cristallo. Intorno alla cornice gira un dipinto di foglie di lauro e quercia conserte con nastri e nodi, e che spiccano sopra un fondo a finto musaico dorato [1].

Le altre due pareti sono adorne similmente; si vede però che gli stipiti di granito rosso coll'architrave lasciano alle due porte un rettangolo al disopra, per tutta la lunghezza della parete, a formare la custodia dei papiri. Del resto l'ornato si ripete nel modo stesso, coi marmi e metalli ne' parapetti, fascette, zona e cornici come sulle altre pareti.

La volta della sala fatta a vela si imposta sopra l'architrave, su cui gira una fascia a baccelli dritti e rovesci. A perpendicolo dei pilastri negli angoli si levano quattro *Telamoni* egiziani. Hanno i piedi poggiati sopra piccolo zoccolo adorno di caratteri imitanti gli egizi. Mentre altri caratteri simili ricorrono nel basamento delle grandi sfingi [2] e leoni in bianco accosciati verso gli angoli e che sembrano spiccarsi dal fondo; ma di ciò parleremo. I piedi dei *Telamoni* sostengono un monolite a prisma rovescio, simile ad un tronco di obelisco, adorno pur di caratteri, e che viene superiormente coperto dal perizoma *(shenti)* della figura che sopra vi poggia. Di queste figure poi il capo è coperto dell'usato abbigliamento egizio detto *calantica* discendente sulle spalle. Tengono le braccia fortemente protese sui fianchi, ed in ciascuna mano impugnano strettamente un piccolo cilindro. Sul capo ognuna sostiene un ben intrecciato canestro che mostrasi ricolmo

[1] Questo fu lavoro di Unterperger, di che abbiamo documento, come diremo.

[2] Sotto una sfinge si tentò riprodurre i cartelli del re Nektanebo II, l'ultimo dei Faraoni, copiandoli dalla base dei due leoni di basalte che stavano allora sulla fontana dell'acqua Felice in piazza di Termini, ed oggi si conservano nel museo egizio vaticano. L'iscrizione dice « *Suten sechet cheper ka Ra Se Ra (Nektneb f) il re dell'alto e basso Egitto (Cheperkara) il figlio del sole Nektanebo.* V. Marucchi, *I Leoni del re Nektanebo* nel Bull. archeol. comun. di Roma 1890, pag. 315.

di frutti, foglie e fiori rappresentanti forse l'ubertà dell'Egitto; e questi sembran protetti da una conchiglia rovescia, che forma le estremità angolari del quadro mediano nella sua cornice arrotondata all'interno de' suoi angoli. Questa cornice dorata è molto ricca e fortemente rilevata in un gran festone di foglie di quercia strette da nastri, mentre il tutto è bellamente disposto.

Dovendo parlare a parte della pittura suddetta e delle altre poste all'intorno, qui accenneremo soltanto come sul piano della volta a vela nelle parti laterali è ricavata la lunetta e finestra ad occhio, mentre lo stesso piano intorno intorno è rincorso da larga cornice, ove ad una verga sottile di papiro dentata a piccole foglie va aggirandosi la spira di ricco nastro.

Negli angoli di questa ornamentazione, che son visibili, appariscono piccoli scudi ellittici: e son dodici, di cui ognuno contiene la rappresentanza di un segno del zodiaco, come emblema dell'anno. Siccome un tale ornato si curva in arco sovra i vani degli occhi ellittici laterali, si vede al sommo la chiave dell'arco in alabastro con rilevata testa di leone che addenta l'anello: questa testa è messa a bronzo dorato.

Da questi capi di leoni sino sopra i Telamoni pendono bei festoni di foglie di palma con datteri, cinti da spirali e volanti di bel nastro; e simili festoni pure appariscono tra un Telamone e l'altro delle sezioni che stan sulle porte. Gli sfondi poi nella volta sono messi a finto musaico d'oro, sul quale con gran leggiadria vengon condotte diverse volute con steli, foglie e fiori.

Ogni più minuta cosa di questi nobilissimi ornamenti si vede riprodotta nella figura; dove ciascuno può ammirare la delicatezza e la varietà insieme al significato simbolico, che è speciale in questa ammirabile dipintura della volta. Di questa il sommo misura metri 6,80 dal pavimento.

Prima pertanto di dire delle varie parti di tal lavoro sarà opportuno darne qualche cenno storico.

## § III.

### *Clemente XIV e Pio VI.*

Il vanto di aver intrapresa l'opera sovrana della nobile aula si deve a Clemente XIV, avendone a cooperatore quell'insigne Angelo Braschi che poi, qual pontefice Pio VI, dovea proseguirla e non men felicemente compirla.

Sulla porta che intromette all'aula si legge come fosse incominciata nell'ultimo anno di quel pontificato [1], vedendosi nella scritta CLEMENS XIV P . M . AN . VI .

Egli non solo avea curato per ogni verso il decoro delle scienze e delle arti premendo le vestigia dei suoi francescani Sisto IV e Sisto V, che furon decoro non men della chiesa che de' frati Minori, ed a cui tanto pur deve la Biblioteca Vaticana, ma ne ebbe in ciò tal lode, specialmente per la raccolta dei Papiri, che fu ricordata eziandio nell'epigrafe del suo tumulo con queste parole: AD AVGENDVM VATICANI PALATII SPLENDOREM BIBLIOTHECAM PAPYRIS NVMISMATIBVS [2] CIMELIIS DITAVIT.

E parlando solo de' Papiri ricordiamo che alcuni ne acquistò, e dipoi, per sontuosamente decorar il luogo ove destinò collocarli, elesse il celebre Mengs, di cui solea servirsi come grande pittore, e volle ornasse col pennello e dirigesse col genio tutto il lavoro cui egli, il papa, pose eziandio mano, ma non potè vedere di troppo avanzato [3].

[1] Eletto il 19 Maggio 1769, entrava nell'anno VI al detto mese del 1774, nel quale moriva ai 22 Settembre.

[2] Per siffatti accrescimenti di medaglie papali e monete al museo numismatico sotto questo pontefice si vegga il nobile mss. lat. della Bibl. Vat. n. 9520.

[3] V. CARACCIOLI e *Vita di Clem. XIV*, 1848. PISTOLESI, *Il Vaticano descritto...* tom. III, p. 258 gli attribuisce la dipintura di questa rinomata volta: *L'ornamento principale di questa stanza sono i celebri affreschi dipinti nella volta per ordine di Clem. XIV da Ant. Mengs, nella quale con ottimo stile e forza di colorito ha rappresentato personaggi storici ed allegorici con simboli alludenti al Nilo.*

Roma Fototipia Isaosi

L' AULA DEI PAPIRI NELLA BIBLIOTECA VATICANA

Dalle sue memorie [1] si conosce che spesso ei si dilettava visitare i diversi lavori che facea eseguire e con persone intelligenti solea discuterne sul posto [2].

Il Braschi succeduto pontefice proseguì con ogni cura quell'opera grandiosa che già tanto a lui dovea nell'iniziarsi. Vi pose il nobile ricordo del predecessore, e per sè rammemorò il compimento nella scritta - PIVS VI P . M . ABSOLVIT - posta di contro a quella di Clemente.

Segni dell'opera sua non vi sono altri che i quattro stemmi in metallo dorato sulle valve delle porte splendidamente ornate a metalli e fatte in conformità del disegno e ben lavorate in nobili legni. Quegli stemmi non solo han le insegne ben note di casa Braschi; ma queste sono incorporate nel mezzo di altre rappresentanze blasoniche da lui associate di poi con il proprio dei Braschi.

Ma documenti ufficiali e svariati per le spese fatte da lui in quest'opera sono i libri originali dei vari conti [3], ove si registrano minuziosamente le ordinazioni, le tare, i pagamenti e le quietanze colle loro date. Chi avesse vaghezza di consultarli troverebbe come largamente e con senno fu sotto Pio VI eseguito quel grandioso lavoro.

